

d. 7. 34.



RECTOR  
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS  
**GEORGIVS**  
**FRIDERICVS**  
**SCHROEER**  
SS. THEOLOG. DOCTOR EIVSDEM QVE  
PROFESSOR PVBLICVS, ORDINIS THEOLOG  
SENIOR, ALVMNORVM REGIO-ELECTOR  
EPHORVS, ET H.T. DECANVS,  
**CIVIBVS ACADEMICIS**

S. P. D



RECTOR  
ACADEMIE ALTEMBERGENSIS  
GEORGIVS  
FRIDERICVS  
CHRÖFER  
SS. THEOLOG. DOCTOR EISCHWAGAE  
PROFESSOR LAMINICAE, ORPENS. THEOLOG  
MINOR ALUMNOVM RHEGI. FREGATOR  
THEORIS ET HIST. DECIMAS  
CLAVIS ACADEMIE



**D**eflemus merito, si tamen pro dignitate  
satis defleri potest, **FRIDERI**  
**CVM AVGVSTVM**, quantae,  
Sarmaticis in terris, gloriae Regem, tantaे, in  
Imperio, Principem Electorem, rebus certe  
gestis tam insignem, ut earum fama, non Eu-  
ropam solum, sed alios etiam ultimosque gen-  
tium disiunctissimarum fines, peragrarit

Cuius quidem obitus, quamuis omni Sar-  
matiae, tanto regni praesidio exutae, omni  
Germaniae, tanto Imperii columine orbatae,  
sit luctuosissimus, eo tamen Saxonibus, pree-  
ter ceteras grauissimasque moerendi caussas,  
acerbior est, quod horum desideriis ne funus  
quidem integrum, sed honorarium tantum-  
modo tumulum, Heroi suo, post homines  
natos fortissimo, Patri patriae mitissimo mu-  
nificentissimoque, excitandum, relinquit.  
Quem enim nuper praesentem uenerabatur  
Saxonia, quem alacrem atque hilarem, e  
complexu suo, ad Sarmatas ire, uidebat,  
quem breui redditurum, animis expectatione  
suspenis, preegestiente iam omnium laetitia,  
sperabat, hunc, frequentissimo gentis Sar-  
maticae conuentu, secundissimo rerum cursu,  
inter arduas reipublicae curas, fato oppressum,

A 2 de-

decessisse, prius fere comperit, quam, aegrotasse. Tanta, tamque praeceps, rerum commutatio nostros, Saxonum, animos, tristissimis nuntiis perturbat, multarumque rerum solitudine districtos atque debilitatos, affigit. In quibus etsi Principis, cuius uultu nemo satiari poterat, imago tam alte defixa est, ut nulla temporis diuturnitate conuelli possit, ipsa tamen eius ossa atque cineres, ac potius ipsum corpus regium, pristinum illud spiritus, tam regii, nobisque carissimi, domicilium, suo natali solo haud inuidendum uidebatur, ut, eo magnifice elato auitisque tumulis condito, plenum saltem iustumque supremae pietatis munus obiremus, nec minus inde solatii caperemus, quam liberi capere solent ex parentum funeribus, pie curatis.

Sed, quoniam res eam facultatem habitura non est, meliore Principis, omni laude abundantis, parte nos consolemur, cuius argumenta tot praesentissima ante oculos obuersantur, quot eius opera, animo nobilissimo perfecta, nobis supersunt. Haec illa sunt amplissima plurimorum generum promerita, quibus rempublicam cumulauit, illud acerri me, pro magnitudine animi sui, eniti solitus, ut ciuium suorum res fortunasque tutaretur, in-

incommoda, quae imminerent, ab eorum  
ceruicibus depelleret, suum cuique ius de-  
scriberet, praemia bonis, poenas malis, pro-  
poneret, eoque maiori cura saluti publicae  
subueniret, quo minus, ab ea suam, uellet,  
seiuinctam. Hoc inito consilio, quam bene  
rempublicam constituit, tam florentem praec-  
stitit, ut neque uis obrueret ius, nec discipli-  
nam uiuendi licentia dissolueret, sed, aequi-  
tate rerum securitas, concordia ciuium tran-  
quillitas, continerentur.

A Pisanis, accepimus, Augusto, Caesari,  
adhuc uiuo, templum, in foro, fuisse extru-  
ctum, Augsteumque, ab illo, uocitatum.  
Additos templo flamines, et, nescio quos,  
honores, sacrificiorumque ritus. Sanctius  
iam pridem Augsteum, nullaque super-  
stitione pollutum, **F R I D E R I C O**  
**A V G V S T O**, Saxon, statuimus in  
animis nostris, sic eius Maiestati deuotis, illius  
ut cultum, non ad foedam componerent  
assentationem, simulatisque honoribus cor-  
rumperent, sed, ueram simplicemque filiorum  
pietatem, officii sinceri fidem, obsequii para-  
tissimi religionem, et, quicquid capere possent  
uenerationis, Beneficentissimo Maximoque

B

Prin-

Principi, ac literarum Statori, sine fuso approbare, studerent. Namque, ut omnes reipublicae partes, sic hanc in primis antiquam, et antiqua inclutam fama, literarum sedem, nihilo minus, quam Maiores eius, ope sua texit, beneficiis extulit, caritate fouit. Qua re seruabit apud nos, quoad rerum nostrarum uestigia non fuerint extincta, bonae grataeque mentis templum, iam dudum sibi dedicatum, ad uerumque sui honorem quo quis Mausoleo instructius, in quo sempiternis commendabitur monumentis atque celebrabitur, quicquid ab eius uberrimis munificentiae fontibus in nos defluxit.

Sed, huius pietatis nostrae sensum officiumque sanctissimum pluribus, decreuimus, publicisque, documentis comprobare. Perendie igitur, XVIII Calendas Maias, in Aede Arcis, Hora octaua. matutina, Concionem Funebrem habebit Christophorus Henricus Zeibichius, Doctor et Professor Theologus, eiusdemque aedis Antistes, Senatus Ecclesie Assessor. Hora decima Panegyricum solennem dicet Io. Guilielmus de Berger, Sacrae Caesar Miestatis, atque in Aula Saxonica, Consiliarius, Historiographus Regius, Academiae Orator.

A me-

A meridie , Concione in Templo Opidano  
ab Io: Georgio Abichtio, Doctore et Professo-  
re Theologo Primario, Curiae Eccles: Assesse-  
re, Sacrorum , in El: Sax: tractu, Antistite Ge-  
nerali , habita , ab Hora quarta Carmen  
*εγκωμιασινὸν* recitabit Christophorus Ludouicus  
Crellius, I V: D: Iur: Nat: et Gent: itemque  
Poesios, Prof Publ: Ordinis Iuridici Extraord  
Assessor. Haec autem cuncta Diui Regis  
memoriae, bonis recordationibus, quas, non  
templa , faxo structa, morti suae optat Tibe-  
rius, Caesar, et festa quadam summaque cere-  
monia, prosequendae, destinantur

Ad quam quidem celebritatem, magna  
hominum frequentia, nec minus animo, quam  
cultu corporis, ad luctum composite, pera-  
gendum, uerbosa cohortatione nihil opus est,  
ubi, quid honoris supremi quantumque tribu-  
endum sit **AVGVSTIS MANIBVS**,  
sua quemque obsequii religio, uel nobis ta-  
centibus, monebit

Ceterum precamur DEVM immortalem  
ut Regiae Celsitudinis Principem, unicum  
patriae, ex luctu recreandae, Solatium,  
**FRIDERICVM AVGVSTVM**,  
Gloriosissimi Progenitoris, in Saxonia, Saxon-  
ica-

P 96 R X 3002270

nicaque Nouemuiralis loci dignitate, Succesorem, Paternis virtutibus simillimum, Dominum, Nutriciumque, nostrum Clemensissimum, una cum **MARIA IOSEPHA**, Augusto AVGVSTAE GENTIS Decore, Matre Patriae, AVSTRIACAE CLEMENTIAE plenissima, una cum Domo Excelsa, saluum in columemque conservet, Eius Principatum, perauspicato initum, secundissimis rebus atque amplissimis ornet, elatumque in fortunae ac dignitatis fastigium, aduersus infestos calamitososque temporum casus muniat, cuncta denique Eiusdem consilia, e quibus tot rerum momenta pendent, numine suo regat ita fortunetque, ut ex iis plurimum salutis in Saxoniā, plurimum decoris in Germaniam totumque Imperium, plurimum gloriae in Ipsū, redundet. P. P. pridie Idus Apriles,

anno recuperatae gratiae

lxxix cc ci ci

---

VITEMBERGAE

PRELO GERDESIANO

4c

CA  
961.

D. 7134.  
RECTOR  
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS

# GEORGIVS FRIDERICVS SCHROEER

SS. THEOLOG. DOCTOR EIVSDEM QVE  
PROFESSOR PVBLICVS, ORDINIS THEOLOG  
SENIOR, ALVMNORVM REGIO-ELECTOR  
EPHORVS, ET H.T. DECANVS,

CIVIBVS ACADEMICIS

S. P. D

